



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Quæstionum Canonicarum, In Quinque Libros
Decretalium, Tomus ...**

In Librum I. Decretalium, Per quadraginta, & tres Titulos distributum, in
quo agitur De Constitutionibus, Seu Legibus universim ...

Krimer, Ferdinand

Augustæ Vindelicorum, 1706

Quæstio XXXVII. In Tit. XXXVII. De Postulando.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-73031](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-73031)

tunc erat, quam æstimabatur, inæqualitas hæc in conscientie foro ad æqualitatem reduci debet: imò etiam in conscientie foro remedium rescissionis (ex L. 2. C. de rescind. vendit.) dari deberet, perinde, ut in aliis onerosis, ac reciprocis contractibus, si læsio ultra dimidium iusti fuit; sicuti bene cum Bartolo, & aliis docet Molina *tr. 2. de iust. D. 556. n. 16.*

2636. Not. tamen, talem rescissionem in transactionibus concedi vix solere, nisi læsio *enormissima* sit; ideòque dolus præsumatur; uti docet Layman *in c. ult. n. 2. & hic, n. 2.* vel nisi minor natu, aut Ecclesia in huiusmodi transactione læsa sit; tum enim ei iudicis officio succurritur per in integrum restitutionem, juxta L. 1. & 2. C. *si adversus transactionem.*

Alter effectus est, quòd, esto transa-

ctio, actionem civilem non pariat, si celebrata sit *nudo pacto* (nam ex nudo pacto de Jure Civili non nascitur actio per superius dicta) pariat tamen exceptionem, L. 17. C. *h. t. nimirum litis fuita, c. 1. de litis contestatione in 6.* Et quamvis sit exceptio peremptoria, tamen opponi potest ante, vel post litis contestationem; & litem decidit, ac si res in iudicio decisa esset; & ideo in *c. 1. h. t.* vocatur, *decisio cause*; quia æquiparatur rei iudicatae; L. 20. C. *h. t.* non tamen nisi inter partes; Zoësius *hic n. 4.* Pro fine notandum, eum qui fuit *Advocatus* alicujus in certa causa posse postea esse testem ejusdem in instrumento transactionis super ea, *c. ex literis, 6. h. t.* quia sic non est *Advocatus*, & testis, *in eadem causa.*

* * *

QUÆSTIO XXXVII. IN TIT. XXXVII. DE POSTULANDO.

2637. **P**ostulare, hic idem est, ac in iudicio apud iudicem exponere suum, vel amici desiderium, vel alterius desiderio contradicere; L. 1. §. 2. ff. *h. t.* Est munus *publicum*, & hoc sensu tam pro Actore, quam Reo postulari potest; imò etiam ij, qui Advocati non sunt, dum pro se causam agunt apud iudicem, postulare possunt. Cæterum *postulare*, strictius loquendo, sumitur *pro munere Advocati*; qui alias etiam Patronus causæ, Orator, & Causidicus vocatur, ut notat Tholosus *in Syntag. Jur. Univers. c. 2. n. 6.* Nam huius jus est, postulare pro alio, nimirum, ut clienti jus suum reddatur, de qua *1. Cod. in Tit. de Advocat. divers. Judic.* quamvis autem, & *Advocatus*, & *Procurator*, *postulare* dicantur; tamen plures inter eos differentie numerantur à Pirhing *h. t. n. 2.* his positis.

ARTICULUS I.

Qui possint postulare de jure civili?

2638. **R**esp. quòd omnes, qui nullo jure prohibentur. Prohibentur autem aliqui edicto, aliqui lege, aliqui sententia. qui prohibentur *edicto*, sunt in triplici ordine. Nam aliqui prohibentur *in totum*, ut nec pro se, nec pro alijs postulare possint; tales sunt minores 17. annis; furiosi, surdi;

Tom. I.

L. 1. §. 3. ff. *h. t.* aliqui tantum pro alijs, ut mulieres; cæci; infames; *cit. L. 2. §. 59.* Excipe tamen mulierem ratione tutelæ in causa filij; arg. *c. Ex parte 67. de appell.* Layman *in c. de Judic. n. 3.* aliqui pro certis tantum possunt, nimirum, parentibus; liberis; fratribus; sororibus, uxoribus; & alijs conjunctis, fortè ad quartum gradum, ut notat Pirhing *hic n. 4.* quibus adde illos, qui pro alijs tutelam, vel cautionem gerunt, L. *cit. §. est æquissimum*, & §. *ut initio*; & omnes infames, *c. Infames 3. q. 7.* Nam infames, *edicto*, ne quidem volente adversario, admittuntur L. 7. ff. *h. tit. Lege* prohibentur, qui SS. Ecclesiæ Mysterijs non sunt imbuti, *C. fin. h. t.* Judices, & Arbitri, in eadem causa; L. 6. C. *h. t.* Potentiores, L. 1. & C. *ne potentior*; Pacti cum altero de quota litis L. 5. 1. C. *h. t.* vel alio pacto, quo alios vexent, inito, L. 6. §. 2. *c. h. t. sententiã* verò prohibentur omnes, quibus vel in totum, vel ex parte advocantibus est interdictum, L. 8. *c. h. t.* Et hæc de jure civili. Not. autem, litigantes posse sibi pro libitu *Advocatos* eligere, L. 2. *c. h. t.* quamvis interdum contingat, si partes ob inopiam, vel metum potentioris adversarij *Advocatum* habere nequeant, illis aliquem à iudice assignari ex officio, *ex L. 1. c. h. t. & ff. 7. L. eod.* Et

Hh hh 2

quo-

quoniam munus Advocati publicum est, nemini negare potest suum patrocinium sine probabili, seu justa causa; secus foro perpetuò interdicendus, neque unquam admittendus ad postulandum, per *L. 7. c. h. t.*

ARTICULUS II.

Qui possint postulare de jure Canonico?

2639.

Questio est, qui postulare, vel Advocatum agere Jure Canonico prohibeantur? Resp. 1. Clericum constitutum in sacris, vel etiam in minoribus, si beneficiatus sit, prohiberi postulare in causa seculari coram Judice seculari, *c. Clerici, 1. h. t. & c. Sacerdotis 3. eod.* Excipe, nisi pro se ipso, vel Ecclesia sua, vel (si necessitas postulat) pro conjunctis, aut miserabilibus personis postulet, vel in judicio agat, *c. 1. & 3. h. t.*

2640.

Ex hoc colliges 1. Clericum, etiam in Sacris constitutum, habere personam legitimam standi in judicio, pro se, & suis proprijs necessitatibus agendo, advocando, procurando; sic expressè habetur in *c. 1. h. t. ibi: nisi propriam causam, vel Ecclesia sua, fuerint persecuti*; aut pro miserabilibus fortè personis, quæ proprias causas administrare non possunt; sic *Barbosa ibid. n. 4.*

Colliges 2. Clericum non beneficiatum, & carentem patrimonio, licitè posse postulare, seu Advocatum, aut Procuratorem agere coram Judice seculari; *Barb. cit. n.* quod à fortiori procedit coram Judice Ecclesiastico; intellige tamen, si alijs medijs statum non dedecentibus, non possit egestatem sublevare.

Colliges 3. Monachos non posse in foro seculari postulare nomine suo, & pro se; quia nihil proprium, ac nullius rei dominium habent *in sua persona particulari*: posse tamen nomine sui Monasterij cum licentia sui Prælati, si ejus utilitas, vel necessitas hoc exigat, *c. 2. h. t. c. Monachi à Monasterio 16. q. 1.* nec tantum pro rebus Monasterij; sed etiam pro amicis ejus ex titulo gratitudinis; sic Innocentius in *c. 1. h. t.* Hinc Salzedo (apud *Barbos. cit. in c. 2. h. t. n. 2.*) refert Lupum Abbatem, Monachos suos aluisse ex lucro suæ Advocacionis.

2641.

Colliges 4. per eadem jura, quibus conceditur, vel prohibetur Monachis postulare, idem etiam concedi, vel prohiberi

Canonicis Regularibus; cum & hi, ratione professionis, proprium non habeant, nisi in communi; *Barb. cit. n. 2. in fin. c. 2.* ubi hoc definitum est *de Monachis*, non ratione Ordinis Monachalis, sed ratione professionis, vi cujus non habent proprium; sic *Vivianus in hunc Tit. n. 2.*

Ex hoc colliges 5. Scholasticos Societatis Iesu cum licentia suorum Superiorum, licitè postulare pro se, & nomine suo, etiam in foro seculari; quia status eorum nec ratione Ordinis, nec ratione suorum votorum, quibus constituuntur verè Religiosi, adimit illis, etiam *in propria ipsorum persona*, dominium rerum temporalium, ut constat ex *Greg. XIII. in Constitut. Ascendente*; consequenter habere possunt proprium. Ratio ulterior est; quia omnes, qui habent, vel habere possunt proprium, possunt sua repetere, & agere de mandato Prælati, ut expressis verbis docet Hostiensis *in Summa, de postulando, n. 7. sub fin.* Deinde Clerici pro se possunt postulare, in judicio etiam seculari, ut constat ex *c. 1. & 3. h. t.* Scholastici autem Societatis sunt verè Clerici; ut per se patet. Nec obstat, quòd sint Clerici Regulares, seu Religiosi. Nam 1. Religiosis non est prohibitum postulare cum licentia Prælati pro se, & rebus suis, si habeant proprium. 2. quia Clerici, etiam non regulares, pari passu ambulant in hoc puncto cum Regularibus, ut notat Hostiensis *cit. ex c. fin. ne Clerici vel Monachij*; at Clerici non Regulares pro se licitè postulant, quando habent proprium; ergo & Regulares. Sed de his plura dicemus *l. 2. tit. 1. de judicijs.*

Præter hæc not. 1. Clericum, qui præsumit esse Advocatus contra Ecclesiam, cuius est Clericus, vel in qua beneficium habet, propter hanc ingratitude, posse illo privari; *c. fin. h. t. ibi: Clericus autem, qui contra Ecclesiam, à qua beneficium obtinet, pro extraneis Advocatus, vel Procurator esse præsumit, tanquam ingratus, potest (maximè si Clericus sit ejusdem Ecclesie) beneficio hujusmodi spoliari.* Not. 2. prohibitum postulare, seu advocare, non prohiberi allegationes juris domi conficere, ac consilium etiam in scriptis petentibus dare; ita Sanchez *in decal. tom. 2. lib. 6. c. 13. num. 32.* Unde, qui jurisperitos, aut viros literatos, ab alijs consul-

2642.

sultos, propter justa consilia, quæ rogati consulentibus præstant, persequuntur, aut etiam damnificant, nec sani consilij sunt; nec justitiæ amatores, circumventionis potiùs, quàm causæ meritò intenti.

2643. Plura sunt, quæ pertinent ad officium, & munus Advocati; sed hæc tractari solent in Theol. morali, cùm agitur de sta-

tibus hominum: illud certum est: Advocatum peccare contra justitiam, si vanis, ac inutilibus evasionibus de consilio protelat litem (cujus victoriam scit obtineri non posse) eo fine, ut clienti possessionem rei alienæ prolonget, gravi detrimento adversæ partis.

* * *

QUÆSTIO XXXVIII.

IN TIT. XXXVIII. DE PROCURATORIBUS.

2644. CUM contingat, multos rebus suis ipsos superesse, qui vel nolint, vel non possint per se ipsos agere; sed agere, vel conveniri per alios, nempe Procuratores, sic dictos, quòd sint quasi *pro alio Curatores*; ideo convenienter de his præsentij titulo (cùm transeamus ad judicij præparatoria) tractandum est.

ARTICULUS I.

Quis, & quotuplex sit Procurator?

2645. **P**rocurator hic is dicitur, qui aliena negotia mandato Domini administrat, L. 1. ff. de Procuratoribus. Dicitur 1. *aliena negotia*. Hinc Procurator *in rem suam* non est propriè Procurator; sic enim, nec illi, nec contra illum datur actio mandati, gloss. in cit. L. 1. V. *aliena*, cùm gloss. margin. Per *actionem* intelligitur jus persequendi in judicio; quod sibi debetur. Tale jus competit mandanti respectu ejus, qui mandatum suscepit, ut præstet mihi, quanti meâ interest, mandatum non fuisse expletum, vel omnino, non modo præscripto, vel dolosè, & negligenter, vel perperam; vel, ut tradam, quod ad eum pervenit ex re gesta, vel occasione mandati &c. Et hæc dicitur *actio mandati directæ*. Actio verò mandatarij, dicitur *actio mandati contrariæ*, de quibus videri potest Manzius de *actionib. ad §. 17. actio mandati*, Institut. de *actionibus*, fol. 220. Per *negotia* autem hic intelliguntur tam judicialia, quàm extrajudicialia, ut definitio etiam conveniat Procuratori tam *ad lites*, quàm *negotia*.

Dicitur 2. de mandato Domini, quo differt. 1. à negotiorum gestore, qui sine mandato aliena negotia gerit, L. 2. de ne-

got. gestor. junct. gloss. margin. ff. h. t. Secundò à Tutore, & Curatore. Nam hi non mandato Domini, sed publica auctoritate Legis, vel Magistratus agunt. 3. à defensore, qui tenet partes Rei, & defendit etiam sine mandato; non autem Procurator, qui propriè tenet vices Actoris. Additur deinde specialiter *ly Domini*, ut excludantur meri administratores, qui nec Domini sunt, nec locò Dominorum habentur, sic, ut utantur jure suo, fructus faciendi suos, qualiter id possunt Episcopi, Prælati &c.

2646. Ex hoc colliges, *verum* Procuratorem esse, qui habet legitimum Domini mandatum; & si omnium bonorum, vel negotiorum, esse Procuratorem *generalem*; si tantum alicujus, vel aliquorum, esse *specialem*. Procurator generalis est alius *cum*; alius *sine clausula, cum libera*, hoc est, cum plena, & libera potestate agendi, & administrandi ea omnia, quæ ipse Dominus potest. Hinc, carens ea clausula, non potest alienare, nisi fructus, & res, quæ faciliè corrumpi possunt. Alius item *est in rem alienam*; alius *in rem suam*; alius *judicialis*; alius *extrajudicialis*; alius *ad negotia*; alius *ad lites*; de quibus fusè Legistæ. Pereyra in *Elucidar. n. 1059.* inter *Mandatarium, Procuratorem, & negotiorum gestorem* constituit discrimen; nam quamvis Mandatarius, & Procurator in eo conveniant, quòd uterque aliena negotia, mandato sibi à Domino facto gerenda gratuite suscipiat (L. 3. §. *negotia. ff. de negot. gest.*) tamen juxta Molin. tom. 2. *Disp. 551.* Procurator est veluti pars subiecta Mandatario, utpote latius patenti. Procurator enim presè, ac propriè dicitur, qui instrumentum à mandante accipit ad aliquid, loco, & nomine ipsius in judicio, Hh hh 3 aut